

tur generalem regulam esse, quando dubium est morale ac probabile, baptismum esse dandum sub conditione, Si non est baptizatus, ut habetur in cap. 2 Extra de Baptismo, ubi significatur in huiusmodi eventu conditionem esse his verbis exprimendam: Si baptizatus es, non te baptizo, sed si nondum baptizatus es, ego te baptizo. Sed hoc intelligendum censeo, tum in solemnibus baptismis, tum maxime, quando dubium est publicum, ut omnis occasio scandali auferatur. Si autem dubium occultum sit, aut baptismus secreto conferatur, satis erit conditionem mente atque intentione concipere. Rationem autem huius rei tradit Leo Papa, in epistolis supra citatis, dicens: *Providere itaque debemus, ne dum speciem quamdam cautionis tenemus, damnum regenerationis incidamus animarum*; et epist. 92 ad Rusticum, cap. 15, agens de huiusmodi dubio, inquit: *Agendum est, ut renascantur, ne manifeste pereant, in quibus, quod non ostenditur gestum, ratio non sinit, ut videatur iteratum*; et infra: *Conferendum eis videtur, quod collatum esse nescitur, quia non temeritas intervenit presumptionis, ubi est diligentia pietatis*. Ratio itaque est, quia per hoc subvenitur probabili periculo animarum ne regeneratione baptismatis priventur, et alioquin nullum est periculum reiterationis, quia conditio apposita seu concepta, illud omnino excludit.

9. *Dubium facti dupliciter accidit*. — Est autem animadvertendum, duplex posse esse hoc dubium, unum juris, alterum facti; juris voco, quando constat adhibitam esse materiam vel formam dubiam, quod variis modis contingere potest, ut constat ex supra dictis, tum de sacramentis in genere, tum ex dictis de materia et forma huius sacramenti. Dubium facti appello, quando absolute incertum est, an datus sit baptismus, quod duobus modis potest accidere. Primo, ut sit omnino negativum, quia videlicet nulla sunt indicia ad iudicandum, hominem esse baptizatum; et tunc non est dubium, quin homo possit iterum baptizari, modo superius dicto; in hoc enim casu præcipue loquitur Leo Papa supra, et Gregorius III, epist. 4 ad Bonifacium, et referuntur in cap. Parvulos, cap. Cum itaque, cap. Si nulla, de Consecratione, dist. 4. Alio modo potest esse dubium quasi positivum, ut contingit, quando sunt aliqua apparentia indicia ad credendum hominem esse baptizatum, non tamen sufficientia, et aliunde sunt etiam apparentes conjecturæ, quæ oppositum

persuadeant. Et in huiusmodi eventu, si conjecturæ vere efficiunt rem dubiam, etiam debet dari baptismus sub conditione, et hoc sensu intelligendum est quod dicitur in 6 Synodo, can. 84, *quoties non inveniuntur firmi testes, qui eos absque ulla dubitatione baptizatos esse dicant, nec ipsi propter ætatem de sibi tradito mysterio apte respondere possint, debere baptizari*; et in Concilio Carthaginiensi, cap. 6, idem dicitur: *Quoties non inveniuntur certissimi testes*. Atque idem habetur in Concilio Africano, cap. 39, et Concilio Wormaciensi, can. 70. Et ubique ratio redditur, ne homo exponatur periculo damnationis ob carentiam baptismi. Et ideo in huiusmodi dubio semper inclinandum est in favorem hominis baptizandi, quia salus ejus est res maximi momenti, et alioquin nulla fit injuria sacramento, quia debita intentio et conditio apposita omne periculum reiterationis excludit, neque intelligitur esse iteratum, quod ambigitur, an sit datum, ut dicitur in cap. ult., de Presbytero non baptizato.

10. *Explicantur prædicta Concilia*. — Quamvis autem in prædictis decretis, videantur postulari plures testes, fide digni, nihilominus communiter auctores censent, si adsit unus testis oculatus, qui dicat se vidisse hominem baptizari, et alioquin nulla sit verisimilis suspicio perniciosi mendacii, id satis esse, ut baptismus non sit iterandus, quia illud testimonium sufficit ad faciendam moralem fidem excludentem dubium et rationabilem suspicionem. Quin potius, quamvis non adsit testis oculatus, si tamen homo natus est ex fidelibus parentibus, et inter christianos educatus, usque ad eam ætatem, in qua solent omnes baptizari, et aliunde nulla est probabilis ratio dubitandi de baptismo, non est in dubium revocandus, quia prædictæ conjecturæ conjunctæ cum communi Ecclesiæ consuetudine faciunt sufficientem fidem, donec evidentissimis argumentis contrarium probetur, ut dicit Innocentius III, in cap. ult., de Presbytero non baptizato. In illa ergo locutione prædictorum canonum vel pluraliter positum est loco singularis, ita ut illo dicendi modo solum significatum sit, requiri tale testimonium, quod ad firmam fidem generandam sufficiat, vel certe intelligendum est requiri plures testes, quando non sunt aliæ conjecturæ, quæ vel per se solæ, vel cum unius hominis testimonio conjunctæ ad moralem certitudinem generandam sufficiant.

11. Ultimo loco dubitari poterat, quale pec-

catum sit baptismum iterari, et quæ poena sit illi imposita; sed de hac re dicemus in disputatione morali.

ARTICULUS X.

Utrum ritus, quo Ecclesia in baptizando utitur, sit conveniens (4, dist. 2, quæst. 1, art. 3 ad 7, et d. 6, quæst. 2, art. 1, quæst. 3).

1. *Ad decimum sic proceditur*. Videtur, quod non sit conveniens ritus, quo Ecclesia utitur in baptizando. Ut enim dicit Chrysostomus, nunquam aqua baptismi purgare peccata credentium posset, nisi tactu Domini corporis sanctificata fuisset (cap. 10, de Consecratione, d. 4). Hoc autem factum fuit in baptismo Christi, qui celebratur in festo Epiphaniæ. Ergo magis deberet celebrari sollemnis baptismus in festo Epiphaniæ, quam in vigilia Paschæ et in vigilia Pentecostes.

2. *Præterea, ad idem sacramentum non videtur pertinere diversarum materiarum usus*. Sed ad baptismum pertinet ablutio aquæ. Inconvenienter igitur ille, qui baptizatur, bis inungitur oleo sancto, primum in pectore, deinde inter scapulas, et tertio chrismate in vertice.

3. *Præterea, in Christo Jesu non est masculus neque femina, barbarus et Scythia, et eadem ratione nec aliquæ aliæ huiusmodi differentiæ*. Multo igitur minus diversitas vestitum aliquid operatur in fide Christi. Inconvenienter igitur baptizatis traditur candida vestis.

4. *Præterea, sine huiusmodi observantiis potest baptismus celebrari*. Hæc igitur, quæ dicta sunt, videntur esse superflua, et ita inconvenienter ab Ecclesia instituta esse in ritu baptismi.

Sed contra est, quod Ecclesia regitur Spiritu Sancto, qui nihil inordinatum operatur.

Respondeo dicendum, quod in sacramento baptismi aliquid agitur, quod est de necessitate sacramenti, et aliquid est, quod ad quamdam solemnitatem sacramenti pertinet. De necessitate quidem sacramenti est forma, quæ designat principalem causam sacramenti; et minister, qui est causa instrumentalis; et usus materiæ, scilicet ablutio in aqua, quæ designat principalem sacramenti effectum. Cætera vero omnia, quæ in ritu baptizandi observat Ecclesia, magis pertinent ad quamdam solemnitatem sacramenti. Quæ quidem adhibentur sacramento propter tria. Primo, qui-

dem ad excitandam devotionem fidelium et reverentiam ad sacramentum. Si enim simpliciter fieret ablutio in aqua absque solemnitate, de facili ab aliquibus æstimaretur quasi quædam communis ablutio. Secundo, ad fidelium instructionem. Simples enim, qui litteris non erudiuntur, oportet erudiri per aliqua sensibilia signa, puta per picturas et aliqua huiusmodi. Et per hunc modum per ea, quæ in sacramentis aguntur, vel instruuntur, vel sollicitantur ad quærendum de his, quæ per huiusmodi sensibilia signa significantur. Et ideo, quia præter principalem sacramenti effectum, oportet quædam alia scire circa baptismum, conveniens fuit, ut etiam quibusdam exterioribus signis representarentur. Tertio, quia per orationes et benedictiones, et alia huiusmodi, cohibetur vis dæmonis ab impedimento sacramentalis effectus.

Ad 1 ergo dicendum, quod Christus in Epiphania baptizatus est baptismo Joannis, ut supra dictum est (art. 2 huius quæst. et quæst. 39, art. 2). Quo quidem baptismo non baptizantur fideles, sed potius baptismo Christi. Qui quidem habet efficaciam ex passione Christi (secundum illud Roman. 6: *Quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus*), et ex Spiritu Sancto secundum illud Joan. 3: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, etc.* Et ideo sollemnis baptismus agitur in Ecclesia, et in vigilia Paschæ, quando fit commemoratio Dominicæ sepulturæ et resurrectionis ejusdem (propter quod et Dominus, post resurrectionem, præceptum de baptismo discipulis dedit, ut habetur Matth. ult.), et in vigilia Pentecostes, quando incipit celebrari sollemnitatis Spiritus Sancti. Unde et Apostoli leguntur ipso die Pentecostes, quo Spiritum Sanctum receperant, tria millia hominum baptizasse.

Ad 2, dicendum, quod usus aquæ adhibetur in baptismo, quasi pertinens ad substantiam sacramenti, sed usus olei vel chrismatis adhibetur ad quamdam solemnitatem; nam primo baptizandus inungitur oleo sancto, et in pectore, et in scapulis, quasi athleta Dei, ut Ambrosius dicit in lib. de Sacramentis (1, cap. 2), sicut pugiles inungi consueverunt. Unde sicut Innocentius dicit in quodam Decret. de sacra unctione (Deut., tit. 15, cap. Cum venisset, lib. 4 Decretal., a med. illius): *Baptizandus in pectore inungitur, ut per Sancti Spiritus donum abiciat errorem et ignorantiam, et fidem rectam suscipiat, quia*

justus ex fide vivit. Inter scapulas autem inungitur, ut per Spiritus Sancti gratiam excutiat negligentiam et torporem, et bonam operationem exerceat, quia fides sine operibus mortua est, ut per fidei sacramentum, sit munditia cogitationum in pectore, et per operis exercitium fortitudo laborum in scapulis. Post baptismum vero, ut Rabanus dicit (lib. 4 de Instit. cleric., c. 28, refertur de Consecr., d. 4, cap. Postquam), statim signatur in cerebro a presbytero cum sacro chrismate, sequente simul et oratione, ut Christi regni particeps fiat, et a Christo christianus possit vocari; vel, sicut Ambrosius dicit (lib. 3 de Sacram., cap. 1, in princ., tom. 4; et de his qui initiantur mysteriis, c. 6; et de Consecr., dist. 4, cap. 89): Unguentum super caput effunditur, quia sensus sapientis in capite ejus, ut scilicet sit paratus omni petenti de fide reddere rationem.

Ad 3, dicendum, quod vestis illa candida traditur baptizato, non quidem ea ratione, quod non liceat ei aliis vestibus uti, sed in signum gloriosæ resurrectionis ad quam homines per baptismum regenerantur, et ad significandam puritatem vitæ, quam debent post baptismum observare, secundum illud Roman. 6: In novitate vitæ ambulemus.

Ad 4, dicendum, quod ea, quæ pertinent ad solemnitatem sacramenti, etsi non sint de necessitate sacramenti, non tamen sunt superflua, quia sunt ad bene esse sacramenti, ut dictum est (in corp. art.).

Materia hujus articuli ad cæremonias hujus sacramenti spectat, de quibus in postrema parte hujus materiæ dicendum est, in qua explicabimus omnia, quæ hic attingit D. Thom., ne convenientem institutumque ordinem disputationum intermittamus.

ARTICULUS XI.

Utrum convenienter describantur tria baptismata (4, d. 4, quæst. 3, art. 3, et q. 6, art. 4, et Joan. 3, lect. 1, fin., et Hebr. 6, lect. 3, fin.).

1. Ad undecimum sic proceditur. Videtur, quod inconvenienter describantur tria baptismata, scilicet aquæ, sanguinis, et flaminis, sive Spiritus Sancti. Quia Apostolus dicit Ephes. 4: Una fides, unum baptisma. Sed non est, nisi una fides. Ergo non debent poni tria baptismata.

2. Præterea, baptismus est quoddam sacramentum, ut ex supra dictis patet (quæst. 63, art. 1). Sed solus baptismus aquæ est sacramentum. Ergo non debent poni alia duo baptismata.

3. Præterea, Damascen. in 4 lib., cap. 10, determinat plura alia genera baptismatum. Non ergo debent poni solum tria baptismata.

Sed contra est, quod super illud Hebr. 6, Baptismatum doctrinæ, dicit Gloss. (ord. ibi): Pluraliter dicit, quia est baptismus aquæ, pœnitentiæ et sanguinis.

Respondeo dicendum, quod, sicut supra dictum est (art. 2 hujus quæstionis, et quæst. 62, art. 3), baptismus aquæ efficaciam habet a passione Christi (cui aliquis configuratur per baptismum) et ulterius sicut a prima causa a Spiritu Sancto. Licet autem effectus dependeat a prima causa, causa tamen superexcedit effectum, nec dependet ab effectu. Et ideo præter baptismum aquæ potest aliquis consequi sacramenti effectum ex passione Christi, in quantum quis ei conformatur, pro Christo patiendo. Unde dicitur Apoc. 7: Hi sunt, qui venerunt ex magna tribulatione, et laverunt stolas suas, et dealbaverunt eas in sanguine agni. Eadem etiam ratione aliquis per virtutem Spiritus Sancti consequitur effectum baptismi, non solum sine baptismum aquæ, sed etiam sine baptismum sanguinis, in quantum scilicet alicujus cor per Spiritum Sanctum movetur ad credendum, et diligendum Deum, et pœnitendum de peccatis; unde etiam dicitur baptismus pœnitentiæ. Et de hoc dicitur Isa. 4: Si abluerit Dominus sordes filiarum Sion et sanguinem Hierusalem laverit de medio ejus in spiritu judicii, et spiritu ardoris. Sic igitur utrumque aliorum baptismatum nominatur baptismus, in quantum supplet vicem baptismi aquæ. Unde dicit August. (lib. 4 de Baptismo contra Donat., cap. 22, in princ., tom. 7, et refertur de Consecr., d. 4, cap. 33): Baptismi vicem aliquando implere passionem, de latrone illo, cui non baptizato dictum est: Hodie mecum eris in paradiso, B. Cyprian. non leve documentum assumpsit, quod etiam atque etiam considerans, invenio non tantum passionem pro nomine Christi, id quod baptismum deerat posse supplere, sed etiam fidem conversionemque cordis, si forte ad celebrandum mysterium baptismi in angustiis temporum succurri non potest.

Ad 1 ergo dicendum, quod alia duo baptismata includuntur in baptismum aquæ, qui effi-

ARTICULUS XII.

Utrum baptismus sanguinis sit potissimus inter alia baptismata (4, d. 4, quæst. 3, art. 3, quæst. 4. Et Hebr. 6, lect. 3, fin.).

1. Ad duodecimum sic proceditur. Videtur, quod baptismus sanguinis non sit potissimus inter tria prædicta baptismata. Baptismus enim aquæ imprimat characterem. Quod quidem baptismus sanguinis non facit. Ergo baptismus sanguinis non est potior quam baptismus aquæ.

2. Præterea, baptismus sanguinis non valet sine baptismum flaminis, qui est per charitatem; dicitur enim 1 ad Cor. 13: Si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Sed baptismus flaminis valet sine baptismum sanguinis; non enim soli martyres salvantur. Ergo baptismus sanguinis non est potissimus.

3. Præterea, sicut baptismus aquæ habet efficaciam a passione Christi (cui secundum prædicta respondet baptismus sanguinis), ita passio Christi efficaciam habet a Spiritu Sancto, secundum illud Hebr. 9: Sanguis Christi, qui per Spiritum Sanctum obtulit semetipsum pro nobis, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, etc. Ergo baptismus flaminis potior est, quam baptismus sanguinis. Non ergo baptismus sanguinis est potissimus.

Sed contra est, quod August. (habetur in lib. de Eccl. dogmat., cap. 74, tom. 3), ad Fortunatum loquens de comparatione baptismatum, dicit: Baptizatus confitetur fidem suam coram sacerdote, martyr coram persecutore; ille post confessionem aspergitur aqua, hic sanguine; ille per impositionem manus Pontificis recipit Spiritum Sanctum, hic templum efficitur Spiritus Sancti.

Respondeo dicendum, quod sicut dictum est (art. præced.) effusio sanguinis pro Christo, et operatio interior Spiritus Sancti dicuntur baptismata, in quantum efficiunt effectum baptismi aquæ. Baptismus autem aquæ efficaciam habet a passione Christi, et a Spiritu Sancto, ut dictum est (art. præced.). Quæ quidem duæ causæ operantur in quolibet horum trium baptismatum, excellentissime tamen in baptismum sanguinis. Nam passio Christi operatur quidem in baptismum aquæ per quandam figuralem representationem; in baptismum autem flaminis, vel pœnitentiæ per quandam affectionem; sed in baptismum sanguinis per

efficaciam habet et ex passione Christi, et ex Spiritu Sancto. Et ideo per hoc non tollitur unitas baptismatis.

Ad 2, dicendum, quod sicut supra dictum est (quæst. 60, art. 1) sacramentum habet rationem signi. Alia vero duo conveniunt cum baptismum aquæ, non quidem quantum ad rationem signi, sed quantum ad effectum baptismatis, et ideo non sunt sacramenta.

Ad 3, dicendum, quod Damasc. (lib. 4 Orth. fidei, cap. 10, a med.) ponit quedam baptismata figuralia, sicut diluvium, quod fuit signum nostri baptismi, quantum ad salvationem fidelium in Ecclesia, sicut tunc paucæ animæ salvæ factæ sunt in arca, ut dicitur, 1 Pet. 3. Ponit etiam transitum maris rubri, qui significat nostrum baptismum quantum ad liberationem a servitute peccati. Unde et Apostolus dicit 1 Corinth. 10, quod omnes baptizati sunt in nube et mari.

Ponit etiam ablutiones diversas, quæ fiebant in veteri lege præfigurantes nostrum baptismum, quantum ad purgationem peccatorum. Ponit etiam baptismum Joan. qui fuit preparatorius ad nostrum.

COMMENTARIUS.

Triplex baptismus, aquæ, sanguinis et flaminis.—Hæc divisio baptismi, in baptismum aquæ, sanguinis et flaminis, quam hic D. Thom. declarat, communis est Theologorum cum Magistro in 4, d. 4, et Hugone de S. Victor., lib. 2 de Sacram., part. 6, cap. 6 et 7; Alexand. Alens., 4 part., quæst. 22; Walden., tom. 2 de Sacram., cap. 96 et 97, et a nobis fere explicata est disputat. præcedenti, ubi ostendimus, non omnia hæc baptismata esse sacramenta, sed solum baptismum aquæ, atque ideo illum solum esse simpliciter baptismum; cætera vero ita appellari solum per analogiam quamdam, in quantum in aliquo casu, quoad effectum seu remissionem culpæ, supplet vicem baptismi, quam metaphoram seu analogiam ibi ostendimus habere aliquod fundamentum in Scriptura, et Patribus. Quomodo autem intelligendum sit, baptismum sanguinis posse supplere baptismum aquæ, et an oporteat, ut includat baptismum flaminis, necne, dicemus inferius tractantes de effectu baptismi.

imitationem operis. Similiter etiam virtus Spiritus Sancti operatur in baptismo aquæ per quamdam virtutem latentem; in baptismo autem penitentiae per cordis commotionem; sed in baptismo sanguinis, per potissimum dilectionis et affectionis fervorem, secundum illud Joan. 15: *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.*

Ad 1 ergo dicendum, quod character est res et sacramentum. Non autem dicimus, quod baptismus sanguinis præminentiam habeat secundum rationem sacramenti, sed quantum ad sacramenti effectum.

Ad 2, dicendum, quod effusio sanguinis non habet rationem baptismi, si sit sine charitate. Ex quo patet, quod baptismus sanguinis includit baptismum flaminis, et non e converso. Unde ex hoc ipso probatur perfectior.

Ad 3, dicendum, quod baptismus sanguinis præminentiam habet, non solum ex parte passionis Christi, sed etiam ex parte Spiritus Sancti, ut dictum est (in corp. art.).

COMMENTARIUS.

1. Baptismi aquæ, sanguinis, et flaminis tripliciter ad invicem comparantur. — D. Thomas videtur hæc tria baptismata comparare solum in effectu, quia cætera solum dicuntur baptismata, in quantum aliquo modo efficiunt effectum baptismi, et hoc modo præfert cæteris baptismum sanguinis, quia in eo tam Spiritus Sanctus quam passio Christi excellentius operatur, ut satis dilucide explicat in articulo. Quæ doctrina ad summum intelligi potest de excellentia effectus, quantum ad intensionem gratiæ, et donorum, et quantum ad aureolam martyrii. Nam quantum ad characterem certum est, baptismum aquæ superare cæteros, ut D. Thom. ad primum docet. Et quantum ad remissionem culpæ et penæ, baptismus aquæ æqualis est baptismo sanguinis, nam uterque remittit omnem culpam et penam; unde uterque in hoc superat baptismum flaminis, qui non semper habet hujusmodi effectum. Quam vero certum sit, quod D. Thom. hic docet de excessu martyrii in effectu gratiæ, dicemus inferius agentes de effectu. Alio modo possunt comparari hæc baptismata in ratione actus virtutis, et hoc modo etiam martyrium ex suo genere superat reliqua, si habeat totam perfectionem suam, nam ut sic includit charitatem perfectam; secundum vero locum tenet baptismus flami-

nis, nam etiam consistit in interno actu contritionis; baptismus autem aquæ solum dicit exteriorum actum quemdam religionis. Ultimo comparari possunt in ratione sacramenti; et hoc modo non solum excedit baptismus aquæ, sed etiam ipse solus habet veram rationem sacramenti, ut dictum est.

2. Solutio ad secundum est notanda, in qua D. Thomas ait, baptismum sanguinis includere baptismum flaminis, quia sine charitate non potest effusio sanguinis habere rationem baptismi, quod qua ratione intelligendum sit, infra dicitur questione sequente.

QUÆSTIO LXVII.

DE MINISTRIS, PER QUOS TRADITUR BAPTISMI SACRAMENTUM, IN OCTO ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de ministris, per quos traditur sacramentum baptismi.

Et circa hoc quærentur octo.

1. Utrum ad diaconum pertineat baptizare.
2. Utrum pertineat ad presbyterum, vel solum Episcopum.
3. Utrum laicus possit sacramentum baptismi conferre.
4. Utrum hoc possit facere mulier.
5. Utrum non baptizatus possit baptizare.
6. Utrum plures possint simul baptizare unum et eundem.
7. Utrum necesse sit aliquem esse, qui baptizatum de sacro fonte recipiat.
8. Utrum suscipiens aliquem de sacro fonte, obligetur ad ejus instructionem.

Disputans superius D. Thomas de sacramenti in genere, prius de effectu, quam de ministro seu causa sacramenti disseruit; hic vero inverso ordine, prius tractat de causis baptismi, tam efficienti, seu ministeriali, quam subjectiva seu materiali, de qua in questione seq.; postea vero agit de effectibus baptismi, quæst. 69. Quod fortasse ita D. Thom. fecit, quia causarum cognitio natura sua prior est, quam scientia effectuum, et hic non occurrebat tanta necessitas immutandi hunc ordinem, quanta in materia de sacramentis in genere, quia, ut ibi vidimus, non potuit ratio et essentia sacramentorum novæ legis, nisi per ordinem ad effectum exacte explicari. At vero supposita generali notitia sacramenti novæ legis, facilius potuit ratio baptismi ex-

plicari, non quidem sine habitudine ad suum effectum saltem confuse et in communi cognitum, tamen absque exacta atque perfecta notitia illius, quæ in proprium locum tradenda reservatur. Quam dicendi rationem sequemur, ne a D. Thom. ordine recedamus, quamvis fortasse non parum lucis afferret effectus cognitio, præsertim ad ea, quæ in sequenti quæstione a D. Thoma disputantur. Est autem materia hujus quæstionis clarissima, et littera D. Thomæ satis perspicua, et ideo usque ad art. 6, nullum adjiciemus commentarium, sed, brevi disputatione, omnium, quæ in eis traduntur, summam complectemur.

ARTICULUS I.

Utrum ad officium diaconi pertineat baptizare (4, d. 5, quæst. 2, art. 1, quæst. 1, et d. 7, quæst. 3, art. 1, quæst. 1, corp., et d. 13, quæst. 2, art. 3, quæst. 2, corp.).

1. Ad primum sic proceditur. Videtur, quod ad officium diaconi pertineat baptizare. Simul enim injungitur a Domino officium prædicandi Evangelium, et baptizandi, secundum illud Matth. ult.: *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos, etc.* Sed ad officium diaconi pertinet evangelizare. Ergo videtur, quod etiam ad officium diaconi pertineat baptizare.

2. Præterea, secundum Dionys., cap. 5 Eccles. Hierarch., purgare pertinet ad officium diaconi. Sed purgatio a peccatis maxime fit per baptismum, secundum illud Ephes. 5: *Mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ.* Ergo videtur, quod baptizare pertineat ad diaconum.

3. Præterea, de B. Laurentio legitur, quod cum ipse esset diaconus, plurimos baptizabat. Ergo videtur, quod ad diaconos pertineat baptizare.

Sed contra est, quod Gelas. Papa dicit (in epistola ad Episc. per Lucaniam, c. 7), et habetur in Decret., 93 distinct. (cap. 13): *Diaconos propriam constituimus observare mensuram; et infra: Absque Episcopo, vel presbytero baptizare non audeant, nisi prædictis ordinibus fortasse longius constitutis, necessitas extrema compellat.*

Respondeo dicendum, quod sicut caelestium ordinum proprietates et eorum officia ex eorum nominibus accipiuntur, ut Dionys. dicit (cap. 7 Cælest. hier., in princ., et cap. 8, circa princ.), ita etiam ex nominibus Ecclesiasti-

corum ordinum accipi potest, quid ad unumquemque pertineat ordinem. Dicuntur autem diaconi, quasi ministri (decr., dist. 93, c. 17), quia videlicet ad diaconos non pertinet aliud sacramentum principaliter et quasi ex proprio officio præbere; sed adhibere ministerium aliis majoribus in sacramentorum exhibitione. Et sic ad diaconum non pertinet, quasi ex proprio officio tradere sacramentum baptismi, sed in collatione hujus sacramenti et aliorum assistere et ministrare majoribus. Unde Isidor. dicit (habetur in Decr., dist. 25, cap. Perlectis, et dicitur esse in epist. ad Ludifredum, cap. 5, in tit. de Sacerdotum perfectionibus): *Ad diaconum pertinet assistere sacerdotibus, et ministrare in omnibus, quæ aguntur in sacramentis Christi, in baptismo, sive in chrismate, in patena et calice.*

Ad 1 ergo dicendum, quod ad diaconum pertinet recitare Evangelium in Ecclesia, et prædicare ipsum per modum catechizantis. Unde et Dionys. dicit (cap. 3 Eccles. Hier.), quod diaconi habent officium super immundos, inter quos ponit catechumenos. Sed docere, id est, exponere Evangelium, pertinet proprie ad Episcopum, cujus actus est, perficere, secundum Dionys. 5 cap. Eccles. Hierarch. (ante med.) *Perficere autem idem est, quod docere.* Unde non sequitur, quod ad diaconos pertineat officium baptizandi.

Ad 2, dicendum, quod sicut Dionys. dicit in 2 cap. Eccles. Hierarch. (parum a principio), baptismus non solum habet purgativam, sed etiam illuminativam virtutem. Et ideo excedit officium diaconi, ad quem pertinet solum purgare, scilicet vel repellendo immundos, vel disponendo eos ad sacramenti susceptionem.

Ad 3, dicendum, quod quia baptismus est sacramentum necessitatis, permittitur diaconibus, necessitate urgente, in absentia majorum baptizare, sicut patet ex auctoritate Gelasii supra inducta (in argumento Sed contra). Et hoc modo B. Laurentius diaconus existens baptizavit.

ARTICULUS II.

Utrum baptizare pertineat ad officium presbyterorum (4, d. 5, q. 2, art. 1, quæst. 2. Et d. 7, quæst. 1, art. 1, quæst. 3, cor. Et d. 17, quæst. 3, art. 3, quæst. 2, cor. Et dist. 24, quæst. 2, art. 1, ad 1).

1. Ad secundum sic proceditur. Videtur, quod baptizare non pertineat ad officium pres-